

N. 22. 78 L 1637 [32]

# RECVRRENTEM NATALEM SVVM

QVI

HOC ANNO CICCL  
SVPRA CENTESIMVM

QVINTVS EST ET OCTOGESIMVS  
GYMNASIVM HALLENSE  
FESTVM SOLLEMNEMQVE

HABEBIT

ORATIONIBVS QVATTVOR PVBLICE  
RECITANDIS

AD QVAS

BENEVOLE AVDIENDAS  
DOCTOS ATQVE ERVDITOS QVOSQVE  
EA QVA DECET OBSERVANTIA

INVITAT

DE

OPTIMA DECLAMANDI RATIONE

QVAEDAM PRAEFATVS

IOANNES MICHAEL GASSER,  
GYMNASI<sup>U</sup> RECTOR.

HALLAE  
EX OFFICINA SCHNEIDERIANA.



Kapsel 78 L 1637 [32]

AK

RECARRENTI  
MVR MILATI

170

Q  
Gymnasium HALLENSE  
ERASMUS COLLEGIUM HALLENSE  
HABET

OBVIONIS COLLEGATORI LADME  
THEATRIS

PERPETUO ET AVDIENDO  
SOCIOGRAPHIAE PRACTICAE  
EXCELSA DECET OBSERVANTIA  
TICKITAT

OPTIMA DECORAMENDI RATIONE

PER CAVAS AQUARIOS IN  
COPPERAS ET ALUMINIA  
SOLUTUS IN VITRIOLIS  
ACIDIS

W. W.  
K. O. OTTO ET SEPIUS ET AL.





OVID. Art. II. 507.

*Sed neque declament medio sermone diserti:  
Nec sua non sanus scripta poeta legat.*

§. I.

**Q**uonam litterarum fato fieri dicam, vt, quos eloquentia  
omnisque eruditonis thesauros, homines, doctrina abun-  
dantia immortalitatem consecuti, recluserunt, eos plerique  
nunc temere asperguntur, ac de riulis cenosis,  
quam limpidissimis fontibus, bibere malint? Gr̄cos enim,  
quos veteres illi diurna nocturnaque manu versarunt, quo-  
tusquisque nostrum hodie est, qui legat, ac non fastidat potius et reificat,  
vt parum ad sapientiam virtutemque profuturos? Quid? latinas etiam litteras adeo nonnulli perosi sunt, vt, si possent, e ciuitate litterata illas penitus eiicerent atque exterminarent. Quidam vero, iisque non indocti, li-  
beralius agunt nobiscum, latinaque linguae, in subselliis saltem scholasti-  
cis, aliquid loci concedunt: immo latine quoque scribendum loquendum  
que esse, sapienter illi quidem haestenus, contendunt. Quod autem non  
multum de vocibus laborandum, quod suo cuique more, sua elocutione  
animi sensa exprimenda esse aiunt, modo PRISCIANVS ne vapulet: in eo  
non antiquos modo, sed nostri quoque temporis eruditissimos homines habent  
refragantes. Tamen haec in yiris, qui curis grauioribus impliciti pro re-  
publi-

publica excubant, vt cumque ferenda sint: at si quem scholæ magistrum talia dicitantem, talia suadentem, talia denique scribentem ex amplequo perferam dicta comprobantem audias aut videoas; illicet, adum est. Hinc præpostoræ stili exercitationes, hinc stolidæ versiones, hinc putidissimæ declamationes existunt, quibus non ad eloquentiam, sed ad loquentiam iuuenes preparantur, digni aliquando Arcadia coloni. Quod si in cauas tanti mali inquirimus: non sunt esse recondita, sed partim in sordida et ignorantia eorum, ad quos haec cura pertinet, partim etiam in effrenata hominum, questu omnia metuentium, libidine posita. Adde prauam consuetudinem, quæ natura vim obtinet, omnibusque omnium sapientum præceptis ac regulis potentior et efficacior est. *Videmus enim sere meliora et probamus: deteriora sequinar.* Non excutiam iam stili singula exercitationum genera: sed illam tantummodo questionem disceptabo, *vrum qualiacunque discipulos et sua, an rectiora et aliena in panegyri pronuntiare satius sit putandum.* Eos interim volo multum legere, Scriptitare assidue, commentari, recitare etiam de scripto, et, si tolerabilis sit oratio, si versus non pessimus, correctione adhibita, de memoria, et in splendido auditorum consensu declamitare.

## §. II.

Evidem ego circumspedis rebus omnibus sic sentio, et sic animum induco, non modo in pueris, sed ne in adolescentes quidem diuinum illud eloquentia nomen vimque cadere. Etenim orationem scripturo duo spectanda sunt, *res oratione tractanda, et verba rebus ex æqua nda:* quorum neutrum tironibus inesse arbitror. Res enim vel a theologia, vel a philosophia petendas esse, nemo, opinor, inficias ibit. Quisquamne autem existimat, verenda illa religionis mysteria a pueris riteigneque tractari posse? in quibus, si verbum incommunum adhibeant, grauissimum errorem admittant. Quam periculosa autem est, talia tironibus permittere, in quibus sepiissime summi etiam viri lapsi sint? Deinde quis ignorat, quis etiam non dolet, frigere quam maxime attentionem adolescentum, quoties altissimarum illarum rerum scientia traditur? Sed fac etiam, suppeditari omnes sententias, nihilque laborandum discipulis esse, quam ut easdem orationis quasi quadam veste induant: ne vel hoc quidem opus feliciter succederet, nisi omnem illius doctrinæ, unde materia desumpta est, tum reliquarum, que illam attingunt, ambitum animo fuerint complexi. Tanta vero quis ab hac æstatula, ab his ingeniolis sperabit? „Deinde non est verum, omnes in eo, quod sciant, sanit esse eloquentes, illud verius, neque quemquam in eo disertum esse posse, quod

„quod nesciat, neque, si id optime sciat, ignoransque sit facienda ac polien-  
„de orationis, diserte id ipsum posse, de quo sciat, dicere a). Si cui vero  
talis diuino munere contingat felicitas, ut in utroque valeat: eum ego non  
solum hortabor, ut elaboret, ut ediscat, ut in doctissimorum hominum cor-  
rona dicat, sed etiam obsecrabo. At sunt, inquis, res aliae, ab theologia  
remota, et non minus fructuosae, quibus exerceri adolescentium ingenii  
potest. Rechte quidem: verum e quo fonte hauriuntur? E philosophia,  
puto. Est enim, praelare monente CICERONE, eloquentia, sicut  
teliquarum rerum, fundamentum sapientia. Scribendi refe, HORATIVS  
ait, sapere est et principium et fons. „Nimirum maius est hoc quiddam,  
„quam homines opinantur, et pluribus ex artibus studiisque collectum. Est  
„enim scientia comprehendenda rerum plurimarum, sine qua verborum vo-  
„lubilitas inanis atque irridenda est. Tenenda preter ea est omnis antiqui-  
„tas exemplorumque vis. Quam ob rem mirari desinamus, que caussa sit elo-  
„quentium paucitatis: quem ex iis rebus univiris eloquentia conset, qui-  
„bus in singulis elaborare permagnum est: horremurque/potius liberos nos-  
„tros, ceterosque, quorum gloria nobis et dignitas cara est, ut animo rei  
„magnitudinem complectantur, neque iis aut preceptis, aut magistris, aut ex-  
„ercitationibus, quibus vtuntur omnes, sed aliis quibusdam se id, quod  
„expetunt, consequi posse confidant b). Igitur qui rerum inopes sunt, qui-  
que sapientiam vix primoribus labris attigerunt: ii, si quid ego iudicare pos-  
sum, ad scribendum dicendumque infelicitare accident.

§. III.

Altera, eaque praecipua oratoris est cura, verborum, uno verbo, elo-  
cution: quam quidem nobis, qui linguam latinam non vsu discimus, sed ex li-  
bris veterum, et mutis magistris percipiimus, rem omnium difficillimam pro-  
nuntio. Non enim quomodo cumque, sed quam bene dicas, considerandum est. Quattuor autem fundamentis, de quibus rhetores pricipiunt, oratio  
omnis innititur, latinitate, concinnitate, ornatu et congruentia c): que cunca-  
ta tot sunt difficultibus obsepta; ut singula non nisi summo labore adsequi  
detur. Quotus enim quisque est, in tanta oratorum copia, quos nostra  
etas scilicet educat, qui, quum aliis eloquentissimus esse, sapientioribus tamen  
plane nugari non videatur? Hi sunt videlicet, de quibus est in NAEVII lu-

a 3

do:

a) Cic. de orat. L. I. c. XIII extit.

b) Cic. l. c. c. V. VI.

c) HEINECC. fund. filii P. I. c. II n. II sgg.

do: Proueniebant oratores noui, stulti adolescentuli. „Non enim latina lingua tam facilis est ciuius, vt multi opinantur; immo difficilior, quam quisquam eredat non expertus: adeo quidem, vt, quod de grammatico proununtiauit nobilis ille ERASMVS, (verba sunt TAVBMANNI d) proclivius esse, vel in triplici facultate doctoris nomen, quam semel boni grammatici titulum promeruisse, id ego etiam de magistro sive auctore orationis latinae usurpare ausim, vt dicere non verear, facilius esse, in triplici facultate doctorem hodie fieri, quam orationem vere romanam aut Ciceronianam elaborare. „Vt ita caussa nulla sit, cur Reales mirentur, tantum studii et temporis ab aliquo nostrum impendi, vt vel tolerabilem faciat orationem. Reperiuntur quidem in iuuentute scholastica, qui videntur intelligere, quantum in viro sapiente ornamentum sit oratio elegans; adeunt interdum etiam publicum professorem, petuntque viam ac rationem sibi tradi, qui illud, quod in aliis admirantur, ipsi etiam consequi valeant. Paret magister, et viam, quam insistant, quamque decurrant, de fententia nouitiorum iuxta ac veterum dicendi magistrorum, alba (quod dici consuevit) linea signat: docet, quotidiu aliquid in classico auctore cum cura legendum, aliquid prudenter scrigendum, quotidiu aliquid scribendum, et in ista scriptione accurate ad exemplum perfecti illius seculi respicendum, omnesque ingenii ac iudicii nervos intendendum, nec facile remittendum, etiam si annus in hac cura iam abeat, vel etiam alter, immo in duriori ingenio vel tertius. At haec quum canticis istis latine lingue praecipiuntur, nempe legendum quam diligentissime, scribendum quam diligentissime, legendum item quam plurimum, scribendum quam plurimum: illi tantum tamque pertinacem laborem perresisti resiliunt, et mirantur, aut etiam indignantur, aliquem e priuatis istis doctribus, si singulos dies binis dumtaxat horis occupet, posse trimestri spatio, hoc est, horis centenis, et quod excurrit, hanc illamne partem philosophiae ita explicare, vt auditor non valde negligens doctrinam illam, satis intelligat: quum nostrum aliquis tantum et temporis et studii requirat, vt oratio tantum probabilis scribatur. Scio quidem, esse apud nos, qui id se posse profiteantur, et qui fortassis ita sibi placeant, itaque sibi fidant, vt hoc etiam, quod iam de lingua latina disputo, non desperent horis centenis. At ego nescio: at ego nihil dico: at ego hic CARNEADES sum. Hoc tamen scio, et hoc dico, auditores. Creduntur hodie in hac Witteberga versari studiorum gratia ex omni fere gente orbis Europae quasi mille quingenti, vel etiam, quod vero proprius existimant, bis mille: eorumque partem longe maximam me iam dicentem audire video. Si tamen in concione

d) dissent. de lat. ling. p. 114 fqq.

„ne ista densissima reperiatur, qui spondere mihi ausit, se tempore hoc non  
„ita longinquò posse discipulum erudire, ut orationem faciat bene latinam,  
„quæque non, ut oves AEGONIS Virgiliani, vix ossibus hæreat, sed quæ,  
„vt illa CHAEREA Terentiani PAMPHILA, succi plena sit: ei ego me  
„omnium primus ex hac hora, et ut primum ex hac cathedra descendero,  
„discipulum tradam cum cera et stilo, cum auribus et lingua, atque adeo  
„cum omnibus intestinis. Et quamuis nunc quidem morbo poetarum ver-  
„naculo, hoc est, inopia argentina labore: tam bono tamen magistro pro  
„singulis horis (quos CAPNIO Roma olim pro addiscenda hebræa lingua  
„iudeo dedisse scribitur) singulos aureos διδυτέρου, siue mineralia clara vo-  
„ce, et tamquam stipulatus, vltro spondeo. Haec tenus TAVBMANNVS.

### §. III.

At non opus est, (dicat alius,) studio et cognitione latinæ linguae ac-  
curata: sed leuis, et (ut sic dicam) proletaria aliqua et tralatitia sufficit.  
Si TAVBMANNVM audis e), „non sufficit, non: sed accurata illa omni-  
„no requiritur. Si enim verba sunt nota rerum, hoc est, res ipsas non aliena-  
„no, non ambiguo, sed germano et suo sibi nomine signare et exprimere  
„debent: quomodo id mihi feliciter præstabit, qui accuratam et vocabulo-  
„rum et phraseos proprietatem ignorat? O te beatum, IVL CAESAR, si  
„tales vel Romæ præceptores, vel Athenis invenire potuisses! profecto non  
„scripsisses, verborum delectum originem esse eloquentie. Miseret me  
„tui, M. TVLLI, qui tibi persuades, ac litteris mandas, intentionem as-  
„dispositionem prudentis hominis esse, eloquentiam oratoris. Non hos  
„audire potuisti arcana doctrina viros. Tu quoque, M. FABI, doctore  
„indiges, cuius ea vox est: elocutionis rationem partem operis difficillimam  
„esse, idque inter onnes oratores conuenire. Falleris: non conuenit inter  
„nos, exclamat FACCIOLATVS f). Et cur, quaso, IVL CAESAR  
insolens verbum tamquam scopulum vitari iussit g): si nulla verborum cu-  
ra habenda est?

At qui numquam male, numquam bene: id enim idemtideum iactatur.  
Quæ verba, si quid valent, aut eam vim habent, ut aliquando scribendi ini-  
tiūm faciendum, et ab lectione veterum ad imitationem progrediendum sit,  
aut data quasi opera incomposite dicendum, ut bene dicere adsuescas.  
Si prior sententia placeat: habebunt nos consentientes; sed nihil ea ad de-

cla-

e) I. c. p. 20. 21.

f) orat. III ad rhetorit. p. m. 43.

g) apud GELI, Noct. Attic. L. I. c. X. n. 4.

*Elamations, easque sollemnes.* Sin posterior, oppido falluntur. „Nam et  
„natura tenacissimi sumus eorum, quæ rudibus annis percipimus; ut sapor,  
„quo noua imbuas, durat, nec lanarum colores, quibus simplex ille candor  
„mutatus est, elui possunt. Et hæc ipsa magis pertinaciter hærent, quæ de-  
„teriora sunt: nam bona facile mutantur in peius; nunc quando in bonum  
„verteris vitia? Non adsuescat ergo, ne dum infans quidem est, sermoni,  
„qui dediscendus sit, monente QVINCTILIANO h). Proinde iure suo  
CRASSVS apud CICERONEM isti prouerbio suum opponit: dum, pleri-  
„que, inquit, vocem modo, neque eam scienter, et vires exercent suas,  
„et lingue celeritatem incitant, verborumque frequentia delectantur: in hoc  
„fallit eos, quod audierunt, dicendo homines, ut dicant, efficeret solere.  
„Vere enim etiam illud dicitur, *peruerse dicere, homines, peruerse dicen-*  
„*do, facilius consequi* i). „Neque cito scribendo fit, ut bene scribatur:  
„sed bene scribendo fit, vt cito scribatur; quod iterum monet FABIVS k).

#### §. V.

Hic mihi damnum aliquis frequentia scholasticæ imminens commemo-  
rat, hic scholam, nescio quam, pessimis orationibus maximam celebri-  
tatem consecutam esse dicit. Quod si verum est: temporis ista culpa est,  
non eorum, qui antiquam scribendi dicendice normam sequuntur. Esse  
nonnumquam vulgari consuetudini aliquid tribuendum fateor: sed prouiden-  
dum est, ne salus pericliteretur publica. Deinde nihil est, quod metuamus:  
si præclaris veterum institutis insistamus. „Immo aut compérinent, iuuentu-  
„tem a nobis rectius eruditiri, et nullibz esse malent, quam vbi præclare eru-  
„diuntur: aut in opinione falsa persistent, nec damnum capiet respublica  
„nostra litteraria; si pertinaces alibi perire malint, quam apud nos fèrunt.  
„Nec enim erunt, qui vel exemplo, vel prauis rationibus alios auertant in-  
„sania. Vraque manu tenendum est, non ex innumera hominum multitudi-  
„ne confari, neque viatores exercitus, neque corus musicos. Iusta copie  
„delectorum vindicabunt rectius patriam ab immanitate hostium: et pauci  
„præclare erudit pace saluti erunt patriæ. Illos quidem recte doceri, et  
„legitime exerceri conuenit. Sic optime iudicat CASELIUS, vir quondam  
harum rerum peritissimus l). Par est igitur, rationum momentis, non ho-  
minum opinionem moueri.

#### §. VI.

h) *Institut. orat.* L. I. c. I.

i) *de orat.* L. I. c. XXXIII.

k) *Institut. orat.* L. X. c. V.

l) in *vīg καὶ πρεσβύτερον*, H. I. b.

zo scitale exortis oīt uideat ac. §. VI. oīt ni oīt exponitula oīt.

Dabo iam per saturam auctoritates et iudicia hominum in dicendi arte summorum. Prodeat ergo oratorum post homines natos omnium princeps TVLLIVS, et testimonium dicat. „Post ea mihi placuit, inquit, eoque „sum usus adolescens, ut summorum oratorum græcas orationes explicatarem. Quibus lectis hoc adsequabar, vt, quam ea, quæ legerem græce, „latine redderem, non solum optimis verbis uterer, et tamen usitatis, sed „etiam exprimerem quædam verba imitando, quæ noua nostris essent, dum „modo essent idonea. Exercenda est etiam memoria, ediscendis ad verbum quam plurimis et nostris scriptis, et alienis. Legendi etiam poetae, „cognoscenda historia, omnium bonarum artium scriptores ac doctores „et legendi, et percolutandi, et exercitationis causa laudandi, interpretandi, corrigendi, vituperandi, refellendi: disputandumque de omni re in „contrarias partes, et, quidquid erit in quaque re, quod probabile videri „possit, eliciendum atque dicendum m). Idem alio loco: „illud clamare, „contra quam deceat, et quam possit, hominis est, vt tu, CATULE, de „quodam declamatore dixisti, stultitia sua quam plurimos testes domesticos „præconio colligentis n).

§. VII.

Jungatur huic FABIVS, maximus ille magister eloquentiæ: qui, „sen- „tientibus iam tum optima, due res, inquit, impedimento fuerunt, quod „et longa consuetudo alteri docendi fecerat legem; et robusti fere iuvenes, „nec hunc laborem desiderantes, exemplum nostrum sequebantur. Nec ta- „men, si quid noui vel fero inuenisset, præcipere in posterum puderet. „At vero declamabit quidem præceptor: non plus contulerint leſti CICERO „ac DEMOSTHENES? Corrigetur palam, si quid in declamando discipulus „errauerit: non potentius erit emendare orationem? o) In primis vero ad caussam nostram pertinent, qua idem paulo post tradit. „Nimirum, illud, „inquit, ex consuetudine mutandum prorsus existimo in his, de quibus „nunc disserimus, ætatis, ne omnia, quæ scriperint, ediscant, et cer- „ta, vt moris est, die dicant: quod quidem maxime patres exigunt, atque „ita demum studere liberos suos, si quam frequentissime declamauerint, cre- „dunt; quam profectus præcipue diligentia constet. Nam vt scribere pue- b ros

m) L. I. de orat. c. XXXIII.

n) L. II. de orat. c. XX. add. L. III. c. XXIII. XXXIII. it. orat. c. XXXIII.

o) institut. orat. L. II. c. V. conf. ROLLINVS in ratione docendi discendique artes liber.

P. I. p. m. 499 sq.



,ros, plurimumque esse in hoc opere, plane velim: sic ediscere electos ex  
,,orationibus vel historiis, alioue quo genere dignorum ea cura-voluminum,  
,,locos, multo magis suadeam. Nam et exercebitur acrius memoria, aliena  
,,complectendo, quam sua: et qui erunt in difficultiore huius generis labore  
,,versati, sine molestia, quæ ipsi compostuerunt, iam familiarius animo suo  
,,adfigent: et adsuescent optimis, semperque habebunt intra se, quod imi-  
,,tentur: etiam non sentientes, formam orationis illam, quam mente peni-  
,,tus acceperint, exprimunt. Abundabunt autem copia verborum optimo-  
,,rum, et compositione, ac figuris iam non quasitis, sed sponte, et ex re-  
,,posito velut thesauro se offerentibus. - - - Aliquando tamen permitten-  
,,dum, quæ ipsi scripserint, dicere, vt laboris sui fructum etiam ex illa,  
,,quæ maxime petitur, laude, plurimum capiant. Verum id quoque tum  
,,fieri oportet, quum aliquid commodius elimaerint: vt eo velut præmio  
,,studii sui denerint, ac se meruisse, vt dicerent, gaudeant p).

### §. VIII.

Inter caussas corruptæ eloquentiæ, sive idem FABIUS, sive alius auc-  
tor, numerat declamationes puerorum. „At nunc, ait, adolescentuli nos-  
,,tri deducuntur in scenas scholasticorum, qui rhetores vocantur: quos  
„paullo ante CICERONIS tempora extitisse, nec placuisse maioribus nos-  
,,tris, ex eo manifestum est, quod M. CRASSO et DOMITIO censori-  
,,bus, cludere, vt ait CICERO, ludum impudentiæ iussi sunt. Sed, vt  
„dicere institueram, deducimur in scholas, quibus, non facile dixerim,  
„vtrumne locus ipse, an condiscipuli, an genus studiorum, plus mali inge-  
„niis adferant. Nam in loco nihil reuerentia: sed in quem nemo, nisi im-  
„peritus æque intrat. In condiscipulis nihil profectus, quum pueri inter  
,,pueros, et adolescentuli inter adolescentulos pari securitate dicant et au-  
,,diantur Q.

### §. VIII.

Post hos sententiam dicat, vt elegantiæ, sic eloquentia ingenuæ  
arbiter, PETRONIVS: qui hanc declamatorum nationem plurimo  
aceto perfundit, in principio *satyrici*. „Hæc ipsa, inquit, tolerabilia es-  
sent, si ad eloquentiam ituris viam facerent: nunc et rerum tumore, et  
sententiarum vanissimo strepitu, hoc tantum proficiunt, vt, quum in fo-

p) FAB. L. II, *instit. orat.* c. VII.

q) in *dialogo de causs. corrupt. eloqu.* c. XXXV, coll. c. XXVIII. XXXI. XXXII. XXXIII.

rum venerint, putent se in alium terrarum orbem delatos. Et ideo ego  
adolescentulos existimo in scholis stultissimos fieri, quia nihil ex iis, que  
in vsu habemus, aut audiunt, aut vident. - - - Qui inter haec nutriuntur,  
non magis sapere possunt, quam bene olere, qui in culina habitant.  
Pace vestra liceat dixisse, primi omnium eloquentiam perdidistis. - -  
Nondum iuuenes declamationibus continebantur: quum SOPHOCLES, aut  
EVIRIPIDES inuenierunt verba, quibus deberent loqui. Nondum umbras  
ticus doctoR ingenia deleuerat, quum PINDARVS, nouemeque *lyrici*, home-  
rics versibus canere timuerunt. Etn poetas quidem ad testimonium citem,  
certe neque PLATONA, neque DEMOSTHENEM, ad hoc genus exerci-  
citionis accessisse video. . - Nuper ventosa isthae et enormis loqua-  
citas Athenas ex Asia commigravit, animosque iuuenum, ad magna sur-  
gentes, veluti pestilenti quadam sidere adflavit: simulque corrupta elo-  
quentiae regula stetit et obtinuit. Quis post ea ad summam THVCYDI-  
DIS, quis HYPERIDIS ad famam processit? Ac ne carmen quidem sani  
coloris eniuit: sed omnia, quasi eodem cibo pasta, non potuerunt usque  
ad senectutem canescere. - - - Minimum in his exercitationibus docto-  
res peccant, qui necesse habent, cum insanientibus furere. Nam ni dixe-  
rint, qua adolescentuli probent, vt ait CICERO, soli in scholis relin-  
quentur. - - Eloquentiae magister nisi, tamquam piscator, eam impo-  
suerit hamis escam, quam scierit, adpetituros esse pisciculos, sine spe  
præda moratur in scopulo. Quid ergo est? Parentes obiurgatione digni-  
funt, qui nolunt liberos suos feuera lege proficere. Primum enim, sicut  
omnia, spes quoque suas ambitioni donant: deinde, quum ad vota prope-  
rant, cruda adhuc studia in forum propellunt, et eloquentiam, qua nihil  
esse maius confitentur, pueris induunt adhuc nascentibus. Quod si pare-  
ntur laborum gradus fieri, vt studiosi iuuenes lectione feuera mitigaren-  
tur, vt sapientiae præcepti animos componerent, vt verba atroci filio ef-  
foderent, vt, quod vellent imitari, diu audirent, sibi nihil esset magnifi-  
cum, quod pueris placaret: iam illa grandis oratio haberet maiestatis sua  
pondus. Nunc pueri in scholis ludunt, iuuenes ridentur in foro: et,  
quod vtroque turpius est, quod quisquis perperam discit, in senectute  
confiteri non vult, cert.

### §. X.

Post litteras, ab impurissimorum contaminatissimorumque tempo-  
rum fecibus repurgatas, dignitatique sue pristica restitutas, vt quisque eru-  
ditionis gloria maxime eminere cupiebat, ita non modo ad veteres imitandos

exprimendosque se diligentissime conferebat ipse, sed alios quoque, qui via regia ad omne decus enti laborabant, ad similes conatus studiosissime excitabat. Quo factum est, ut largissimus omni genere eruditio[n]is præstantissimorum virorum prouentus fuerit: qui tanto doctior[er]e sunt politioresque habiti, quanto propius ad doctrinæ veteris accederent exemplar. Hi quem ad modum vias alias, quibus quasi per compendia ad famæ claritudinem perueniri posse, iam tam credi ceptum est, ignorabant ipsi: sic si quos iter diuersum ingressos esse comperissent, eos fideli consilio dehortabantur. Ex ingenti illorum numero vnum modo CASELIVM iam testem excitabo, qui in luculentissima *ad latinum sermonem exhortatione* r) sub finem ita pronuntiat: „Finem imposueram huic commentatiunculae, vt putabam, quando mihi commodum in mentem venit, cohortari oportere magistrorum adolescentium et ludorum puerilium, vt ipsi his rationibus, quas attulisti, consideratis, discipline sic alumnos, secundum informationem ad elegantes, eosdemque bonos mores, in intelligendo potissimum romano sermone, satis diu teneant, et, quantum quisque possit capere, confirmant. Secus autem a plerisque fieri video, qui eos inepte, rudes adhuc et humanae vitæ et rerum ceterarum, statim ad declamandum et disputandum inutiliter et perniciose rapiunt: quum tamen, post profectum in bonis scriptoribus, multa alia sint, quæ illa maturioris ætatis et feliciorum ingeniorum exercitia præcedere debeant.

### §. XI.

Prætereundus hoc loco non est e recentioribus vir græcis latiniisque litteris doctissimus, PETRVS FRANCIVS, iurius doct[or] et gymnasii Amstelædamensis professor eloquentia, historiarum et lingua græca celeberrimus, anno huius faculi quarto rebus humanis eruptus. Excoluit is partem illam rhetorices potissimum, cui primas in eloquentia, secundas ac tertias dabant græcorum eloquentissimus DEMOSTHENES, actionem. Itaque non ipse modo declamauit sibi, sed discipulos etiam suos orationes recitare iussit, non illas quidem fuopte ingenio, nullo latinorum exemplo, proculas, sed CICERONIS, sed DEMOSTHENIS, sed aliorum, veterum tam. „Neque enim conatus est docere eos dicere, qui loqui nescirent, „nec sperare, qui latine non possent, hos ornate esse dicturos, neque vero, qui non dicerent, quod intelligeremus, hos posse, quod admiraremur, dicere s). Quod quidem b. FRANCII institutum quum nonnullis obtre

r) quam integrum IACOVS BURCKHARDVS inseruit libro suo de *lingua lat. in germania fair*, P. II. p. 576-586.

s) CIC. de orat. L. III. c. X.

obtrectatoribus et inquis rerum aestimatoribus displicuissest: tantum abest, ut  
cesserit istorum cauillationibus, ut ab eo, quem ingressus semel erat, tra-  
mite nullius sententia se passus sit deturbari. Duabus potius integris orationibus de ratione declamandi exposuit: e quarum priore, qua inter orationes eius duodetreesima est, quædam excerpemus t). „At aliter plane  
„veteres, inquit, ex sententia censorum, aliter item maiores. Sua illi reci-  
„tabant, non aliena. Ingens crimen, magnum piaculum. Alia erat vete-  
„rum ratio, alia nostra. Per omnem illi se vitam in eloquentia exercabant,  
„huius se penitus deuouebant; et, cur id facerent, rationes sane permagnas  
„habebant: nostri eloquentiam iuuenes vix attingunt, et hoc vniuersum pro-  
„pe studium negligunt. Illi iam grammaticis dederant operam; poetas, ora-  
„tores, historicos, et id genus scriptorum euoluerant: nostri rudes ad nos  
„accedunt, et vbi accesserint, auolant. Deinde quis negat, etiam aliena  
„veteres recitasse? multa e graciis conuertit: multa e latini expressit: mul-  
„ta ad verbum edidicit, tam aliena, quam sua, ut ipse de se testatur, in  
„libris de oratore, oratorum omnium princeps, M. TVLLIUS CICERO.  
„Quæ si memoræ tantum causa, ac non vocis etiam et pronunciationis fe-  
„cisse gratia credimus: meo quidem iudicio fallimur vehementer. Quid?  
„quum contrarias illas AESCHINIS ac DEMOSTHENIS orationes e graciis  
„fecit latinas, scripsisse tantum, non et declamasce existimamus? Ego  
„vtrumque eum fecisse, et vtraque fecisse lingua, ut ad istam se normam  
„componeret, facile adducor, ut credam. - - - Superstitiosus fa-  
„ne est nimis, aut delicatus, qui nobilissimas oratoris disertissimæ orationes,  
„voce et gestu, ut res postulat, recitantes, et muris TVLLII verbis vitam  
„atque animam inspirantes, audire ac ferre non potest: illudque rem nihil  
„putat, vnde fructus in ipsis actores reddit ac redundat vberrimus. Nam et  
„magnarum rerum imagines animo suo concipiunt, et verbis se optimis in-  
„struunt; connexiones, transitiones, artificium omne rhetoricum æmulari  
„discunt, et ad præstantissimum fæse exemplar singunt atque componunt.  
„Externam vero eloquentiam istam, ad quam ista artas idonea maxime, quæ  
„nisi ista artate, doceri non potest, quæ e solo discitur TVLLIO, isto sibi  
„modo comparant vniuersam. - - Optime igitur istæ sunt orationes, et  
„ad agendum aptissimæ, quæ maxime sunt numero, maxime item vberes  
„ac diffusæ, maxime denique, quo uno omnia continentur, pathetica. Iam  
„vero quis numerosior CICERONE? quis eodem vberior et copiosior, qui  
„flumen quoddam est eloquentie? In quo magis regnata dominatur τὸ πά-  
„θος? Quis autem admirabile istud atque incredibile dicendi genus, et sum-  
„mam

,,mam istam, qua tantum ille ceteris præstítit, eloquentiam, vlo se modo  
,,exprimere, aut adumbrare posse confidat? Non mei sane discipuli, non  
,,ego, non quisquam. Quare nihil his iudico satius, nihil magis etiam pro-  
,,futurum, quam si orationem aliquam e CICERONE memoria mandent,  
,,vim inde dicendi eliciant, et omnem scribentis facundiam, voce, ocu-  
,,lis, manu, ac totius habitu corporis repræsentent, cet.

## ¶ XII.

Audiamus etiam M. ANT. MAIORAGIVM, de hac causa ita disse-  
rentem u): „Neque vero eorum labor adprobandus est, qui relicta audi-  
„di et legendi cura, nimis propere, atque ideo intempestive fese ad scri-  
„bendum conferunt. Nam eos nequaquam solidos atque integros, plane  
„que perfectos partus, sed inanes, (vt PLATO vocat) *ανεπιδιλλος*, quasi  
„zento conceptos dicas, emittere necesse est. Quam enim eruditio nem in  
„scribendo possunt illi promere, qui neque ex auditu, neque ex *mutis*  
„(quod aiunt) *magistris* longo studio plurima notarint? Licer hoc tempore  
„quorundam hominum, qui se doctos atque eruditos existimari volunt, scrip-  
„ta videre, tam inania, tam levia, tam succi expertia, vt nihil aliud in  
„eis, quam verba reperias: non reconditionem aliquem sensum, non anti-  
„quitatem, non doctrinam, non denique aliquid, quod a vulgari omnium  
„cognitione abhorreat. Hi sunt (vt ait HORATIVS) *versus inopes rerum*  
„*nugaeque canore*, et reliqua... Accedat huic GABRIEL NAVDAEVIS,  
qui in *Syntagmate de studio liberali* x) ita scribit: „At vero tantum abest, vt  
„istorum (quattuor dicendi generum) notitiam et exercitationem adolescen-  
„tes in scholis consequantur, quamvis ipsorum usus longe nobilior sit, ac  
„frequenter occurrat, quam frigide cuiusdam declamationis, quod nec ora-  
„tionem, nec chriam quidem componere possunt, nisi accepta prius a pre-  
„ceptore rudi et indigesta materia, que demum sic ingeniose versari non  
„potest, aut fingi, quin macie et languore quodam opprimatur, proprio  
„sanguine et viuidiori colore destituta, cet. Improbat quoque ARNOL-  
DVS CLAPMARIVS in nobili triennio vulgarem declamandi consuetudi-  
nem his verbis: y) „Ab orationibus autem et declamationibus scribendis  
„hac tempestate te prohibeo propter grauissimas caussas, quas næ isti igno-

u) Orat. XVI. p. m. 377. sq.

x) p. m. 103.

y) p. m. 148.

„rānt glōriosissimi, qui eloquentiam induunt pueris ab vtero matris adhuc  
„rubentibus. z)

§. XIII.

Tandem reipublicæ litterariorum tuendæ, conseruandæ, augendæ trium-  
uiros, illustrem IO. GVLIELMVM BERGERVM, excellentissimum IO-  
ANNEM MATTHIAM GESNERVM, et celeberrimum IO. CHRISTO-  
PHORVM GOTTSCHEDIVM, qui orbem terrarum eruditio[n]is sicut fama  
et admiratione impleuerunt, sententias rogo. Primus ita caussam nostram  
defendit aa): „Sed intelligendum est, eloquentiam veterum ea metiendam  
„persuasione non esse, qua multi sunt imbuti, quum sibi videntur eloquen-  
„tes, si vulgaria quedam rhetorum præcepta teneant utcumque, si tria  
„caussarum genera, orationis conformandæ partes, nomina figurarum et huius-  
„modi, in iis si subsistatur, nērias, didicerint, si e topicis inuenire quādam,  
„languide tamen satis ac frigide, possint, si, percursis magis, quam recte  
„cognitis, aliquot veterum libris, adhibitusque vocabulorum commentariis,  
„orationem possint, aut epistolam, conscribere, si, his rei oratione velut  
„armis instruēti, armati audacia, elati impudentia, possint, quidquid in buc-  
„cam venerit, hésitantibus nusquam verbis, effutire, clamare strenue ac  
„vociferari, iactare se et exultare, sine omni modestia, omnique vere-  
„cundia, quam ipsi, homines minime, scilicet, instrenui, timorem, fein-  
„dignum, interpretantur. Multo iudicabant aliter heroes illi, apud  
„quos cert.

Alter cum QVINCTILIANO, de quo supra mentionem fecimus, pla-  
ne consentit; ideoque hæc adnotacionibus suis in hunc ab se editum auto-  
rem, adscripsit bb): „Ex ego hic sub religosi testimonii fide confirmo, tanto  
„felicior progressos esse in scribendi dicendique facultate adolescentes fidei meæ  
„commisso, quo alacrius mibi in hac parte Qvinctilianeæ doctrine ediscendi re-  
„citandisque quam plurimi, TULLII præsertim, locis obsequerentur,, Po-  
stremus ea, quæ nos haecenus de declamationibus latinis recte instituendis  
disputauimus; in eloquentia germanica quoque valere oportere contem-  
dit

2) add. b. GOTHOFREDI VOCKERODT Consultationem III. c. III. n. VII. p. 77. c. VII.  
p. 92. fqq. n. XIII. tot. c. VIII. n. III. p. 104. III. 113. c. XI. p. 114. fqq. 144-146. Con-  
sult. V. p. 157. 160. 163. Consult. VI. p. 166. 170. n. V. VI. p. 173. n. VIII. Consult.  
XVII. n. V. VIII. p. 354. cert.

aa) in præfatione libro commentario de naturali pulchritudine orationis præmissa l. i. b. sq  
bb) ad L. II. c. VII. n. 2.

dit cc). Qui liber quam omnium fere manibus teratur, locum tam copiosum exscribere nihil attinet.

### §. XIII.

His consentanea omnino sunt, que leges gymnasii Hallensis de declamationibus earumque tirocinis prescribunt dd). Quod igitur illis, maiores cordatissimi inquiunt, qui nihil aliud, quam ex germanico scripto totidem versibus latinum reddere consueverunt, et preter auscultationem preceptorum rhetorica, nihil admodum de progymnasmatis oratoriis degustarunt, mox in regra declamationes scribende iniunguntur: hoc opus nimis arduum, et tironum humeris impar onus est. Et mox: luculentum progymnasma pro iunioribus fuerit, si distribuantur inter condiscipulos breues orationes ex VIRGILIO, OVIDIO, SENECA, DIONE, LIVIO cet. recitanda.

Sed satis, opinor, diximus pro testimonio: superest, ut tironibus nostris, quorum nomina infra dabimus, natalem gymnasii Hallensis CLXXXV orationibus quattuor celebraturis, auditores corrogemus, qui crastino die hora post meridiem secunda frequentes conueniant, honestisque conatus attentis auribus et animis benevolis faueant: id quod iterum iterumque perofsciose rogamus.

---

P. P. Hallæ Magdeb. A. D. XXVII Augusti cIɔ Iɔ cc L.

IOANNES RVDOLPHVS KAHLE, Illeburg. Saxo, de litterarum hum. præstantia generatim dicit, orat. germ.

IOANNES AVGVSTVS FRIDERICVS GASSER, Calbensis, de eloquentie dignitate verba faciet latine.

DIETERICVS AVGVSTVS ROTTH, Hallensis, philologiam cum metaphysica comparabit, versibus german.

IOANNES ANDREAS GVILIELMVS BÜCHNER, Zimmerna-Erfordiensis, quid ad morum disciplinam poesis conferat, docet orat. latina.

cc) Rhetoric. P. I. c. II. §. XIII-XIX.

dd) c. XIII, p.m. 63; sūq. §. II, VII-X.



ULB Halle

001 582 658



3

Vd 18

N.22. 78 L 1637 [32]

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Inches	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20
Centimetres	2.54	5.08	7.62	10.16	12.70	15.24	17.78	20.32	22.86	25.40	27.94	30.48	33.02	35.56	38.10	40.64	43.18	45.72	48.26	50.80

### Farbkarte #13

# VRRENTEM ALEM SVVM

Q VI

ANNO CICCC  
VTRA CENTESIMVM

EST ET OCTOGESIMVS  
SIVM HALLENSE  
SOLLEMNEMQVE

HABEBIT

BVS QVATTVOR PVBLICE  
RECITANDIS

AD QVAS

COLE AVDIENDAS  
QVE ERVDITOS QVOSQVE  
A DECET OBSERVANTIA  
INVITAT

DE  
ECLAMANDI RATIONE

EDAM PRAEFATVS  
MICHAEL GASSER,  
YMNASI REGTOR.

HALLAE  
CINA SCHNEIDERIANA.

9

Kapsel 78 L 1637 [32]

AK